Winkler Martini: Quaestio physica de prima causa primo movente et praedeterminante causas secundas ad agendum.

QVÆSTIO PHYSICA

DE

Prima Causa Primo Mouente & prædeterminante Causas secundas ad agendum

Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodum Rndi Domini,

D. STANISLAI JVRKOWSKI,

Sacræ Theol. Doctoris, & Professoris,

ECCLESIARVM Collegiatarum, S. FLORIANI PRÆPOSITI, Sancti Georgij in Arce Cracouiensi

ET

OPATOVIENSIS CVSTODIS,

PROTHONOTARII APOSTOLICI,

Scholarum VLADISLAVIANARVM PROVISORIS,

Studij Vniuersitatis Cracouiensis PROCANCELLARII,

ET

GENERALIS RECTORIS.

À

M. MARTINO WINKLER COLLEGA MINORE.

In Perausto DD. Theolog. Lectorio, A. D. 1663. Die 26 Mens. Jun. horâ 11

Publicè ad disputandum.

PROPOSITA.

CRACOVIÆ, Apud Hæredes & Succ. LVCÆ Kupisz, S. R. M. Typ.

QVÆSTIO

V. Causa Prima dans esse & operari Causis secundis, non solum immediato concursu, simul cum ipsis influat ad agendum, sed etiam antecedenter omnes illarum effectus, & actus tàm necessarios quàm voluntarios, illæsâ libertate creatâ, præmoueat ac prædeterminet? necne.

CONCLVSIO I.

Causa Prima Efficiens quæ est DEVS O. M. dat esse & operari Causis secundis.

COROLLARIA.

I. Ratio Primæ Causæ constituitur per id, quod est esse Ens per essentiam & Infinitum, à quo omnia Entia sunt participata & finita.

II. Esse est effectus ita proprius & solius Causæ Primæ, vt nullo modo Causæ secundæ tanquam Principali Efficienti competere possit.

III. Cum creatio sit productio totius esse ex nihilo, talis productio est extra sphæram actiuitatis Causarum secundarum; adeoq; ad actionem creatiuam nulla Causa secunda eleuari potest vt Instrumentum supernaturale.

IV. Implicat etiam produci creaturam ita perfectam, vt se solâ immediatè & proximè sit operatiua, modusq; agendi illius sit per mediatam tantum & remotam dependentiam à Causâ Primâ.

V. In omni Causa secunda duplex est dependentia & subiectio ad DEVM, vna tanquam ad Authorem naturæ, altera tanquam ad Authorem supernaturalem ratione potentiæ Obedientialis; licet prima sit essentialis Creaturæ non tamen secunda.

CON-

CONCLVSIO II.

Præter id quod DEVS Causis secundis esse & virtutes operatiuas præbeat, immediato influxu simul cum ipsis ad agendum concurrit.

COROLLARIA.

I. Falsum imò erroneum est asserere, ita DEVM ad omnes concurrere effectus, vt ad illos Causæ secundæ creatæ non concurrant, sed solum ad earum præsentiam DEVS omnes istos effectus producat.

II. Per solum concursum conseruantem Causas secundas in Actu primo, non bene saluatur ratio Causæ primæ formaliter influentis & applicantis: & sicut operatio in rebus creatis distinguitur ab esse, ita DEVM operari cũ creaturis, est aliquid distinctum ab eo quod est conseruare esse creaturarũ

III. Licet Causæ secundæ agant vt motæ à primâ, & in virtute Primi Agentis, non tamen dicendæ Causæ partiales vel Instrumentales rigorose sed totaliter principales sunt in suo ordine.

IV. Ad eundem effectum DEVS & Creatura eadem simul actione concurrit, magis tamen iste effectus indiget ac dependet á DEO quam á creaturâ.

V. Concursus Simultaneus in ipsas propriè operationes & effectus causæ secundæ est immediatus non solum immediatione virtutis sed etiam suppositi.

CONCLVSIO III.

Causa Prima non solum concomitanter sed etiam antecedenter omnes causarum secundarum actus tàm necessarios quàm voluntarios præmouet ac prædeterminat

COROLLARIA.

I. Nulla Causa secunda per virtutem in suo ordine completam constituta ex se & ratione propriæ virtutis est determinata ad aliquam singularem & indiuiduam actionem hic & nunc eliciendam.

II. Huiusmodi DEI motio non est causalitas efficientis, sed quædam qualitas per modum transeuntis, habens esse incompletum, ipsis causis seu potentijs impressa, necessaria ad actualiter operandum.

III. Concursus præuius & Simultaneus vt poté pendentes ab eadem efficaci DEI voluntate, sunt inter se infallibiliter connexi, & licet vnus sit prior altero non potest separari ab altero.

IV. Quidquid voluntas creata seu secũda habet; s. tàm substãtia actûs quàm modus hoc est libertas, prouenit ei à voluntate increata & prima, ante cuius determinationem nihil fit á Causis secundis; ita vt ideo fiat actus quia

 Deus

DEVS vult illum sic fieri, non autem è contra.

V. Ad volitionem peccaminosam quatenus talem non prædeterminatur causa secunda à primâ sed ipsa in hoc genere habet se permodum causæ primæ: bene tamen, sicut ad materiale seu fundamentum illius non disconuenit asserere concursum simultaneum causæ primæ, ita etiam & hunc præuium.

CONCLVSIO IV.

Præmotio efficax DEI quâ causas liberas ad liberè operandum præmouet ac prædeterminat, illæsam relinquit libertatem creatam.

COROLLARIA.

I. Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum quam ipsi suas, propter primum vniuersalissimum & absolutum dominium, quo non obstante voluntas creata determinat se liberè ad actum, sed secundario, & determinata iam secundum naturam suam à primo Libero.

II. Prædeterminatio hæc seu prædefinitio non requiritur ad posse, permodum principij habitualis quod præsupponit, sed ad ipsum agere, cuius est principium actuale: vnde licet sine illa voluntas non agat, non tamen sine illa caret potentia ad agendum.

III. Voluntas sine omni præmotione extrinseca DEI manet suspensa ab omni actu & indifferens, præmota verò determinatur determinatione infallibilitatis & per modum liberi arbitrij, non necessitatis & permodum naturæ, atq; sic manet libera.

IV. In libero arbitrio præmoto iam & prædeterminato manet semper simultas potentiæ ad opposita, non autem potentia simultatis ad eadem coniungenda, seu voluntas præmota ad consentiendum non potest dissentire in sensu composito, potest in sensu diuiso.

V. Potentia quæ est ad vtrumlibet, qualis est voluntas, sufficit vt non sit frustra quod ponat vnum ex oppositis actibus infallibiliter, licet ad alterum non reducatur actu.

******

Permissu Magnifici Domini,

RECTORIS.